

rum ejus; ad talem interpretationem cogunt circumstantiae sub quibus datum fuit; denique ita illud immediate post promulgationem intellexerunt archiepiscopus Stadler (qui et movit causam), superiores regulares provinciae ac ipsa deum S. Congregatio a qua confectum et promulgatum fuit.

Profecto ipse episcopus Stadler erat primus qui decreti promulgationem in folio dioecesano curavit simul edicens ac declarans eo jam finitam et determinatam esse quaestionem parochiarum in Bosna.²⁷² Idem postea in divisione parochiarum franciscanarum explicitis verbis agnoscit eas esse eorum proprias et regulares; dividit eas ad normas Concilii Tridentini et juris communis.²⁷³ Neque postea umquam de ipsarum charactere juridico, eas videlicet esse regulares, dubitabat, vel hoc clarum jus Franciscanorum impugnabat, etsi constanter ipsius cordi erat, diversis rationibus convenientiae prolatis, iisdem alia via quoquo modo potiri. Prae-

²⁷² Folium dioecesanum »Srce Isusovo« de a. 1883, fasc. 4. Post enumerationem paroeciarum, quas Franciscani ipsi cesserunt, continuat: »Reliquae paroeciae declaratae sunt regulares, et ad Franciscanos pertinebunt«. *I b i d e m*, 83. Vide apud Gavranović, Kratki pregled šematzama bosanske franjevačke provincije, in Franjevački Vjesnik, XLVII (1940), 74.

²⁷³ Ad protestationem provincialis occasione divisionis parochiae Doboj a matrice Sivša a. 1896 sic rescribit: »Episcopi omnes jus habent novas paroecias erigendi. Quod et archiepiscopus Vrhbosnensis hoc jus possideat clarum est: idemque jus habere etiam quoad vestras regulares paroecias, nempe, quod illas potest, si velit, dismembrare et ex illis (vestris paroecias) novas paroecias erigere, erectisque praeficere sacerdotes saeculares pro parochis, clarum satis est ex decreto S. Sedis de die 14 Martii 1883«. Deinde, allegans 4. art. dicti decreti de a. 1883 ejusque explicationem ex Constitutione »Romanos Pontifices« continuat: »Juxta hanc vero Papalem Constitutionem (i. e. »Rom. Pont.«) quae integra typis data est in dioecesano folio Srce Isusovo, II, an. 1883, satis clare patet, episcopum posse regulares paroecias dismembrare et ex dismembratis novas erigere ad proprium beneficium, si necessitas aut utilitas populi fidelis id requirit. Vult tamen S. Sedes, ut rectori prius communicetur, si parochia sit regularis, ut Praefectus Ordinis audiantur, servando juxta eandem Constitutionem Papae Leonis XIII decreta et ordinationes Concilii Tridentini, sess. 21, c. 4 de ref.« *Archivum Procurae generalis Prot. a. 1896*. Ipse ergo agnoscit parochias esse regulares ac ad normas juris et Tridentini dividendas, non vero ad modum missionum in Anglia.